



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 8. Quod fundamentum requiritur ex parte obiectorum ad
faciendum vniuersale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

Diuisio 11.

148 Postremo vniuersale in quantum subiectum, aut prædicatum vniuersè in categorema, & syncategorema diuidi potest.

Categorema dicitur, quod ratione sui est prædicatum, aut subiectum; atque ita per se solum prædicari potest, aut subiici. Syncategorema verò, quod solum ratione alterius est tale; atque ita nisi adiunctum alteri nec potest prædicari, nec subiici. De quibus iterum erit sermo *disp. 18*. Modò solum aduerto omne significatum verbi categorema esse, & vniuersum quicquid aut ex parte subiecti, aut ex parte prædicati in recto siue directè sumitur, concipitur ab intellectu. Cætera verò omnia, quæ in obliquo, siue indirectè, siue ex connotato, vt dicunt, sumuntur, seu concipiuntur ab intellectu, aut ex parte prædicati, aut ex parte subiecti syncategoremata sunt. Vnde ad horum pertinent classis formæ omnium concretorum adiectiuorum, vt potè, quæ in obliquo semper sumuntur. Sunt autem tanti momenti huiusmodi syncategoremata, vt tota diuersitas prædicationum accidentalium, & essentialium ab eorum adiectione dependeat, aut remotione, vt ex dictis, & ex dicendis in decursu apparebit.

149 Porro inter omnia prædicata vniuersalia, quæ recensimus, duo sunt, quæ in scientiis humanis potissimum obtinent locum, nempe proprietas, & passio communis. Eoenim tendunt præcipue scientiarum discursus, vt passionem tam proprias quam communes rerum, de quibus in illis agitur, deprehendant: mediâ videlicet connexionem, quâ res ipsæ proximè, vel remotè cum talibus passionibus connektantur. Connexio quippè rerum in vniuersum fundamentum vnicum est, cui nitiuntur humani discursus, vt aliàs explicui *suprà*, inferiusque explicabo. Cæterum quia connexiorum, siue essentialium cum prædicatis sibi accrescentibus, siue accidentibus triplex esse potest, metaphysica, physica, & moralis, iuxta diuisionem traditam *suprà disp. 2. q. 5.* & latius *disp. 14.* tot modis prædicatum accidentale potest esse passio subiecti: nimirum aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter ei annexa, seu necessaria, hoc est, vel omnimodâ necessitate, vel naturali, vel morali.

150 Ecce quot diuisionibus (præter alias aut minus viles, aut dandas alibi quas omittimus) prædicabile vniuersale diuidi potest, atque debet. Quibus ferè omnibus itidem prædicabile singulare diuidemus inferius, vt videant Logici, quàm diminitutè prædicabile in vniuersum diuiserint hæc ænus.

151 Hoc vnum ad extremum aduertimus. Quâ ratione de vniuersali vt prædicabili philosophari sumus, eadem de vniuersali vt subiicibili, suâ feruâtâ proportionem philosophari posse. Quod etiam logici tacuerunt. Etenim non minus est proprietas logica vniuersalis metaphysici posse subiici multis seu esse subiectum multorum, quàm posse prædicari de multis, seu esse multorum prædicatum. Et primò quoduis vniuersale in omnibus est subiicibile prædicatione indirectâ, de quibus prædicabile est prædicatione directâ per verbum substantiuum esse factâ, vt constat. Deinde omnia vniuersalia de multis indirectè prædicabilia, iuxta dicta *suprà diuis. 5.* eisdem erunt directè subiicibilia, vt etiam est notum. Præterea multa saltem vniuersalia de multis prædicabilia directè, multis

quoque ab illis diuersis erunt subiicibilia etiam directè. Exempli gratia homo est directè prædicabilis de Petro, Ioanne, Francisco &c. idemque homo directè est subiicibilis albo, nigro, iusto, &c. Esse autem diuersas denominationes logicas, imò & oppositas relatiuè, & consequenter diuersas vniuersalis proprietates prædicabilitatem, & subiicibilitatem indubitatum est; siquidem planè est munus diuersum logicum in quouis obiectiuo conceptu esse illum prædicatum, ac esse subiectum prædicationis.

Abstineo tamen nihilominus à diuidendo species in varia membra vniuersale vt subiicibile, quemadmodum diuisi illud vt prædicabile, quia diuisiones inde oriundæ in iam datas recidunt. Velenim subiectum in suo conceptu aliquid amplius dicit, quàm prædicatum, vel nihil amplius dicit? Si dicit amplius, prædicatio erit partis de toto, atque adeo essentialis, eademque, quas supra dedimus, prædicationis essentialis partis de toto diuisiones subiicit. Si nihil amplius dicit. Aut iuste dicit integrum prædicatum, & erit prædicatio speciei. Aut dicit minus, quàm prædicatum, & erit prædicatio prædicati accidentalis (vt potè addentis aliquid subiecto) toties, ac supra, eodemque modo diuidenda. Etenim denominatio essentialis, & accidentalis, aliæque sub illis contentæ prædicationibus conuenientes, à prædicato potius respectu subiecti, quàm à subiecto respectu prædicati sumuntur.

QVÆSTIO VIII.

Quod fundamentum requiratur ex parte obiectorum ad faciendum vniuersale?

Supponimus ex dictis *suprà q. 5.* ad faciendum vniuersale omnino esse requisitum ex parte intellectus, quod hic per species alienas, atque adeo in substitutis alienis ea cognoscat, ex quibus vniuersale faciendum est; nam per species proprias nequaquam possunt plura concipi vt vnum, propterea ad vniuersale requiritur, vt ibi monstrauimus. Quod verò insuper ex parte obiectorum sit requisitum, modò inquirimus.

Conueniunt omnes Philosophi, atque indubitè supponunt ad faciendum vniuersale ex multis sub vnicò conceptu adunatis, necessarium omnino esse, quod ea inter se similia sint. Ob id enim multæ differentia specificæ vt tales in vnum conceptum coire nequeunt, quia inter se dissimiles sunt, atque adeo ita sunt ex propriis conceptibus, quo species differunt, vt nullatenus esse possint, in quo conueniunt. Qualis verò, & quantà, & quâ de causâ requisita ista similitudo sit, quâ multa in vniuersale adunanda similia esse debent; & an loco similitudinis, aut præter illum eorundem sufficiat, aut insuper requiratur æqualitas, vel aliud genus conuenientia, seu concordantia, nemo, quem viderim, ex professo examinavit, aut explicuit.

Pro exactâ explicatione suppono primò tribus modis, quod ad rem attinet, posse duo quauis, aut plura extrema vicissim inter se comparari. Primò vt distincta, vel indistincta; secundò vt similia, vel dissimilia; tertio vt æqualia, vel inæqualia. Ad hæc enim tria capita reuocantur omnes diuersitates, vt *suprà disp. 16.* explicatum est. Distincta

Disp. XVII. De vnitare, & plur. rer. Quæst. VIII. 51

ta dicuntur, quorum vnum non est alterum: indistincta, quorum vnum est alterum. Similia dicuntur, quorum vnum est sicut alterum: dissimilia, quorum vnum non est sicut alterum. Aequalia dicuntur, quorum vnum tantum est, quantum alterum: Inæqualia, quorum vnum maius, aut minus est altero. De quibus *disp. 13. & 16.* plura scripta relinquitur; quæ ad rem recolenda.

156 Suppono secundò, quæ aequalia sunt, dissimilia esse posse, vt patet in triangulo, & quadrato inter se æqualibus; & quæ similia sunt, posse esse inæqualia, vt patet in duobus quadratis inæqualibus. Posse autem, quæ sunt similia, esse etiam aequalia, & quæ dissimilia inæqualia, indubitatum est: sicut & cuncta extrema ista, quæ talia distincta inter se debere esse: eo quod idem sibi neque æquale, neque simile, loquendo strictè, dici potest, multoq; minus potest esse sibi inæquale, vel dissimile. De quibus etiam plura sunt dicta *disp. 16.*

Suppono tertio, distinctionem eorum conceptuum esse, qui in indiuisibili consistunt, atque adeo non suscipiunt magis, & minus, vt dici solet: eo quod nullà quantitate, aut physicà, aut metaphysicà præditi sunt. Neque enim vnum ab altero magis aut minus distingui dicitur, sed vel distingui, vel non distingui simpliciter eo genere distinctionis, de quo sermo est. Tantumdemque dicendum est de æqualitate; quia neque vnum magis, aut minus æquale alteri venit dicendum, sed, vel æquale simpliciter, vel inæquale. Nec secus de similitudine philosophandum esset, nisi vsus obtinisset, vt ea etiam similia dicantur, quæ non omnino talia sunt, sed aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Quemadmodum enim ea solum dicuntur æqualia, quorum alterum tantum omnino quantum alterum est, alterumque proinde ab altero nihilo exceditur; atque adeo nihil inæqualitatis admixtum habent. Ita etiam eademtaxat in rigore similia erant appellanda, quorum alterum omnino sicut alterum est, neque aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Supposito tamen vsu opposito, duplex, claritatis gratiâ, similitudo distingui poterit. Altera dicitur similitudo exacta, seu pura, & hæc in indiuisibili consistit, sicut æqualitas. Altera dicitur similitudo temperata seu mixta, & hæc eo maior, aut minor erit, quod minor, aut maior fuerit opposita dissimilitudo, quâ metaphysicè temperari concipitur ad eum modum, quo calor, & frigus vicissim temperantur physicè: dissimilitudinem enim quemadmodum inæqualitatem, magis, & minus suscipere indubitatum est: De quo etiam diximus *disp. 16.*

158 Suppono quarto, nulla esse entia, siue entium conceptus, quæ non sint inter se re ipsâ, vel distincta, vel indistincta, atque etiam vel similia, vel dissimilia. Cum tamen multi conceptus entium re verâ neque æquales, neque inæquales sint inter se, quia nullam quantitatem aut physicam, aut metaphysicam habent, de eorumque subinde genere sunt, qui dicuntur non suscipere magis, aut minus. Aequalitas quippe, vel inæqualitas solius quantitatis; atque adeo eorum dumtaxat, quæ quantitatem aliquam habent, proprietas est. Cum tamen distinctio, vel indistinctio, similitudoque vel dissimilitudo omnium conceptuum cogitabilem, atque inter se comparabilem passio communis sit; verum de his latius est actum *disputatione decimasexta citatâ.*

Pharus Scientiarum, Tom. II.

Suppono quintò; vt ea quæ sunt in se distincta, in mente nostrâ obiectiue possunt esse idem, & vice versâ, quæ sunt idem, distincta, ita pariter, quæ in se sunt dissimilia vel inæqualia in mente nostrâ obiectiue similia, vel aequalia esse posse: & è conuerso inæqualia, vel dissimilia, quæ aequalia, vel similia in se. Nam vt ea, quæ in se sunt distincta, ab vno eodemque substituto phantasmate, in quo concipiuntur à nobis, vnum, & idem, euadunt in mente nostrâ obiectiue: & quæ in se sunt idem, à distinctis phantasmatibus euadunt distincta, vt satis in superioribus expositum est; ita pariter ea, quæ in se sunt dissimilia, vel inæqualia, à similibus, vel æqualibus phantasmatibus, in quibus à nobis concipi possunt, similia, vel aequalia in mente nostrâ obiectiue possunt euadere, sicut è contra dissimilia, vel inæqualia, à dissimilibus, vel inæqualibus phantasmatibus, ea, quæ in se similia, vel aequalia sunt. His positis

Propositio 1.

Vt aliqua plura sub vno conceptu cunctis communi, atque adeo vniuersali adunentur, exactè, & purè inter se similia debent à nobis concipi.

Talia enim concipi debent, qualia opus est, vt ille conceptus communis idemmet logicè acceptus reperiat in singulis, prout experientia monstrat; subrogato scilicet per quamdam repetitionem pro singulis sumptis diuisum, aut eodem prorsus phantasmate, quod pro omnibus sumptis simul, aut phantasmatibus prorsus similibus, soloque numero differentibus iuxta doctrinam datam *suprà num. 67.* Quod absque exactâ, & purâ similitudine obiectiua singulorum non potest fieri, vt satis ex se notum est. Id, quod etiam impositio vocum ostendit; siquidem, eadem repetitâ voce, tum conceptum commune, tum singula, quæ sub illo adunantur, in quæque subinde ille multiplicatur, significamus. Vna enim vox *animal*, exempli gratia, nunc animal commune multis speciebus, nunc animal cuiusque speciei, nunc animal cuiusque indiuidui prorsus immutata significat. Quod signum est ea cuncta animalia obiectiua, prout per vocem significantur, exactè, & purè similia esse. Et sane iuxta consensum commune, & phrasim omnium, ea, ex quibus vniuersale consurgit, eandem rationem, eundemve conceptum ipsius vniuersalis participant: hoc autem citra exactam eorundem similitudinem, quoad dictam rationem, seu conceptum non posset fieri, vt constat: nam, quo pacto dici posset eadem in singulis ratio, quæ exactè, & omnino similis non esset in singulis? Itaque existimatio communis, & modus loquendi omnium in hac materiâ satis, superque demonstrant propositionem nostram.

Propositio 2.

Ea, ex quibus ratio, seu conceptus vniuersalis abstrahitur, siue adunatur, in se ipsis à parte rei ratio sunt exactè, & purè similia. Talem tamen debent habere similitudinem, qualis requiritur, vt à nostro intellectu purè similia concipiantur, quoad eam rationem, seu conceptum, in quo adunantur.

Prior pars propositionis constat imprimis in speciebus, ex quibus ratio genericè concepta à nobis in singulis purè, & exactè similis abstrahitur, siue adunatur. Species enim à parte rei dissimiles inter

E x se

se sunt, ut cernere est in homine, equo, leone, & ceteris speciebus animalis. Nec dici potest eas à parte rei esse similes in ratione animalis, dissimiles autem in rationibus differentialibus singularum propriis; siquidem ratio animalis in singulis, & ratio differentialis vnum quid sunt à parte rei, & idem omnino. Proindeque homo, leo, equus &c. non aliter, quam integrè, & indiuisim possunt comparari re ipsà, & ante nostras præcisiones tanquam similes, aut dissimiles, ut sic autem constat esse dissimiles. Quo fit, ut animal hominis, animal leonis, & animale qui non minus sint dissimilia à parte rei inter se, quam sunt homo, leo, & equus cum quibus sunt idem. Deinde id ipsum apparet in plerisque indiuiduis ex quibus ratio specifica dicitur abstrahi, siue adunari, quæ in singulis conceptione nostrâ purè, & exactè similis est. Cum tamen ipsa indiuidua à parte rei cum quibus ea ratio specifica prorsus est idem, non adeo sint inter se similia, ut cernere est in hominibus, de quibus satis ex se apparet non adeo esse inter se similes, ut sunt duo circuli, aut duo ova, &c. Iam verò de aliis inferioribus, ex quibus vniuersale differentialiale, ceteraque essentialia abstrahuntur, siue adunantur, idem omnino dicendum venit, ut consideranti patebit. Nec aliter res se habet ut plurimum in vniuersalibus accidentalibus cuiusvis generis, & iis ex quibus illa abstrahuntur, siue adunantur, ut videre licet in conceptu vniuersali sapientis simili omnino per conceptionem nostram in omnibus, de quibus dicitur; cum tamen eorum sapientia re ipsâ non adeo sint similes inter se. In ceterisque huiusmodi pariter.

161 Dixi autem in istâ parte propositionis tad esse à parte rei exactè similia ea, ex quibus conceptus vniuersalis abstrahitur, siue adunatur; quia aliquando exactè ea similia sunt, ut patet in pluribus circulis, in pluribusque quadratis omnino similibus, quæ sub conceptu circuli, quadrati que communi illis adunantur, & in pluribus candoribus, aut coloribus etiam similibus omnino, qui adunantur pariter sub vno conceptu candoris, aut coloris illis communi in aliisque huiusmodi.

162 Venio iam ad secundam partem propositionis, quam ut declarem, & simul probem, noto primò conceptus obiectiue ab intellectu nostro adunabiles plerumque esse respectiuos ad extrinsecum connotatum: quia plerumque vel sunt actus, quos significant verba, vel concreta ex talibus actibus, & ex eorum subiectis coalescentia. Constat autem ex sæpe in superioribus dictis huiusmodi actus conceptus respectiuos esse ad subiectum, & terminum. Oportet ergo ut tales conceptus adunari possint, quod inter se exactè similes concipiuntur non solum quoad suas intrinsecas essentias, sed etiam quoad sua extrinseca connotata. Nam aliàs in vnum conceptum multis communem nequibunt coire, ut paulò *inferius in hac q. Consect. 3. monstrabo*. Ex quo patet non solum res, ex quibus conceptus isti sumuntur, sed etiam res, ex quibus sumuntur eorum connotata eam inter se similitudinem habere debere, quæ satis sit ut dicti conceptus quoad intrinsecum, & extrinsecum exactè similes concipiuntur ab intellectu nostro.

163 Secundo noto, intellectum nostrum ea quam habet, vi præcisua formalitatum, tunc à rebus in se non exactè similibus conceptus quosuis aut respectiuos, aut absolutos exactè similes contrahere, quando de singulis earum iudicat, aut iudicanda apprehendit aliqua prædicta præ aliis, in quibus

tales res conspirant, præsentibus fundamenta ad talia iudicia ad talese apprehensiones rebus ipsis qualibet ratione conceptis, quando prædicata iudicanda ex se sunt vniuersalissima; vel aliqua experimentalis notitia, quando prædicata iudicanda ex se sunt magis specialia. Et quoniam nulla sunt entia adeo à parte rei dissimilia, ut aliquam similitudinem admixtam non habeant, nulla sunt, ex quibus intellectus suâ, quam habet, vi iudicatiua, & præcisua non abstrahat prædicata simillima utique in phantasmaticis substitutis, in quibus ea iudicat quasi extrahendo, & separando in huiusmodi prædicatis talium entium similitudinem ab eorumdem dissimilitudine, cum quâ veluti immixta re ipsâ erat. e. g. Apprehendit intellectus Angelum, statimque ex terminis iudicat illum esse idem secum, à ceterisque rebus distinctum, esse bonum, esse vnum, esse verum, &c. Postmodum apprehendit lapidem, de illoque pariter eadem prædicata, siue exactè similia iudicat. Quo facto in promptu iam est concipere sub vno conceptu bonitatem communem Angelo, & lapidi; similitergue identitatem, distinctionem, veritatem, vnitatem, &c. Ecce quomodo Angelus, & lapis, qui à parte rei sunt tam dissimiles, in mente nostrâ obiectiue aliquas formalitates habent purè, & exactè similes ratione substitutorum phantasmatum, in quibus cognoscuntur; ex quibus proinde conceptus vniuersalis compingi potest, prout dictum est.

Hæc de prædicatis ex se vniuersalissimis enitum. 164 Quæ enim specialiora sunt, maiorem similitudinem entitativam debent habere à partere rei, ut ab intellectu nostro cum exactâ, & purâ similitudine concipi possint; eoque maiorem, quod magis specialia fuerint, tamen exactè similia à partere rei esse non debeant, nisi quando absque vllâ præcisione à differentiis dissimilibus, sed tantum à differentiis inæqualibus, aut merè inter se distinctis ab intellectu nostro sunt concipienda aut seorsim, aut sub vno vniuersali conceptu, iuxta dicenda latius *infra q. 12.* Tunc enim nisi in se sint exactè similia, talia ab intellectu nequibunt concipi, & consequenter nec dictis modis sub vno conceptu adunari. Quia intellectus noster nequit concipere purè similia, & consequenter nec sub vno conceptu vniuersali completi ut talia ea, quæ in se re verâ aliquam dissimilitudinem habent, nisi præscindendo à tali dissimilitudine, hoc est, à prædicatis differentialibus, vnde illa à nobis provenire concipitur. Explicemus cuncta paulatim per varia exempla.

Concipit intellectus noster circulum, & quadratum extrema inter se re ipsâ satis dissimilia; moxque ab vnoquoque præscindit rationem figuræ plenæ, quasi separans eis conceptibus similitudinem, quam circulus, & quadratum habent à dissimilitudine eorum, quæ relinquuntur in differentiis, talemque subinde rationem prout à differentiis præcisam exactè similem apprehendit in quadrato, & in circulo, quo fit, ut in promptu sit eam sub vno conceptu adunari. Rursus concipit intellectus quadratum, & triangulum rectilineum, quæ duo magis similia sunt re ipsâ, quam quadratum, & circulus. Proindeque in iis aliquid amplius similitudinis habet intellectus noster, quod præscindat à dissimilitudine; sicque in huiusmodi extremis non solum rationem figuræ planæ, ut in præcedentibus, sed rationem figuræ planæ rectilineæ, eamque purè, &

& exactè similem, sub vnoque conceptu adunabilem præscindit à residuis talium extremorum differentis. Pergit dein intellectus, & concipit triangulum amblygonium, qualis dicitur, qui vnum angulum obtusum, & duos acutos habet, & triangulum oxigonium, qui acutos habet omnes tres angulos. In quibus extremis longè similibus quam prædicta, rationem iam trianguli omnino similem à differentis abstrahit, vt supra; quæ ratio est figuræ rectilineæ habentis omnino tres angulos, & tria latera.

166 Hoc pacto concipiens intellectus noster duas lucas non omnino similes, ab earum differentis præscindit rationes lucis omnino similes, & adunabiles. Tantundemque præstat dum hominum, & brutorum sensationes animaduertens, quæ quidem non nihil à parte rei dissimilitudinis habent, præscindens ab eâ, rationem sensationis abstrahit in omnibus omnino similem; arque adeo etiam adunabilem sub vno conceptu. In alijsq; huiusmodi pariter.

167 Denique concipit intellectus noster duos circulos eiusdem materiæ, vbi cum nihil habent dissimilitudinis, quod suâ præcisione fecerant, aut concipiendo eos exactè similes, & æquales, quando re ipsâ tales sunt, quoad totum etiam, quod sunt, citrà omnem præcisionem adunat. Aut rationem circuli pariter prorsus similem à differentis inæqualitatibus, si sunt circuli inæquales, à purisve singularitatibus, si sunt æquales, abstrahit, abstractamque etiam adunat, iuxta doctrinam statutam supra n. 69. Est namque singularitas pura, seu differentia purè numerica, quæ citrà omnem dissimilitudinem, arque inæqualitatem distinguit indiuidua, vt explicabimus inferius q. 12.

168 Pati ratione quando conceptus adunati sunt respectui ab ipsis connotatis extrinsecis, quæ tales terminant respectus, folget adunatio inchoati. E. g. videt quis plures illuminationes à pluribus agentibus oriundas exactè similes, statimque inde in promptu habet plures potentias illuminatiuas exactè similes in ipsis agentibus ab eorum differentis abstrahere; quæ subinde illuminationibus adunatis sub vno, & communi conceptu illuminationis, sub vno pariter, & communi conceptu potentia illuminationis iunguntur. Similiter quia sensationes hominis, & brutorum exactè similes concipiuntur à nobis in ratione sensationis, vt paulò antè notabamus, proclive est, vt principium sentiendi exactè quoque simile nobis appareat in homine, & singulis brutis, & consequenter etiam vnum illis commune; atque ita homo, & omnia bruta conueniant in ratione animalis, hoc est, potentis sentire, vt sententur omnes. Pariterque in similibus euenit.

Propositio 3.

169 Vt aliqua plura sub vno conceptu cunctis ipsis communia, atque adeo vniuersalia adunentur, non solum purè, & exactè inter se similia, vt statuimus proposit. 1. Sed etiam æqualia debent à nobis concipi, æqualitate videlicet phantasmatis substitutoris.

Quia eadem rationes ibi adductæ, quæ pro omni modo similitudine faciunt, pariter faciunt pro æqualitate, vt consideranti patebit. Itaque sicut ratio trianguli conueniens triangulis dissimilibus omnino similis abstrahitur intellectu nostro in omnibus illis à dissimilitudine ipsorum. Sic ratio trianguli conueniens triangulis inæqualibus omnino æqualis abstrahitur intellectu nostro in omnibus illis ab ipsorum inæqualitate. Pariterq; dicendum de cæteris.

Pharus Scientiarum, Tom. I.

Vbi nota; etsi aliqua à parte rei nec sint inter se æqualia, nec inæqualia, eo quod nullam quantitatem aut physicam, aut metaphysicam habent, iuxta supposit. 4. datam. n. 158. At in mente nostrâ obiectiue non posse non cuncta aut æqualia, aut inæqualia esse, hoc ipso, quod non in se ipsis, sed in substitutis corporeis quantisque, atque adeo vel æqualibus, vel inæqualibus concipiuntur.

Propositio 4.

170 Ea, ex quibus ratio vniuersalis abstrahitur, siue adunatur, rarè in seipsis à parte rei sunt æqualia physice, aut metaphysice, concipiuntur tamen ab intellectu nostro æqualia in phantasmatis substitutis cum præcisione ab inæqualitate, quam in se habent, idoneaque euadunt vt sic, vt sub vno vniuersali conceptu adunentur.

Hæc propositio eodem pacto ac secunda venit explicanda, & probanda; quia, quod ad rem attinet, de æqualitate, & inæqualitate perinde philosophandum est hic, atque ibi philosophati sumus de similitudine, & dissimilitudine. Quare accommodentur ad rem præsentem, quæ ibi diximus, proportionem seruata, ne diutius frustra immoremur. Præferimus, quia de his plura iterum infra q. 12. dicenda sunt.

171 Duo tamen mihi occurrunt hic animaduertenda. Primum est. Bifariam posse cognosci à nobis duo quæpiam, vel plura extrema inter se similia, aut æqualia. Primò similitudine, aut æqualitate logicâ, quam participant à phantasmatis substitutis, in quibus à nobis cognoscuntur. Secundò similitudine, aut æqualitate physica, quam ipsa habent in se. Vt priori modo cognoscantur, seu potius talia appareant, nullatenus posteriori modo cognosci debent: alioquin quando extrema non sunt in se exactè similia, & æqualia, talia apparere nobis non possent nisi delusis, & deceptis, contra superius statuta. Sed fat est vt intellectus subroget phantasmata similia, & æqualia pro dictis extremis cognoscendis quoad alios conceptus præscindendo à similitudine, & æqualitate, quam ipsa habent, aut non habent in se. Et hoc pacto vt plurimum, & fere semper cognoscuntur à nobis ea, ex quibus per adunationem fiunt vniuersalia. Vt vero posteriori modo similia, aut æqualia appareant, seu potius cognoscantur aliqua extrema, eò debet tendere intellectus, vt illorum similitudinem, vel æqualitatem cognoscat in phantasmatis substitutis, quemadmodum ad cognoscendum quosuis alios rerum conceptus, siue formalitates se gerit. Similitudo siquidem, & æqualitas quædam sunt rerum formalitates, sicut distinctio, identitas, vnitatis, bonitas, & cætera huiusmodi. Cæterum, vt plures similitudines, vel æqualitates rerum (tantundemque de dissimilitudinibus, atque inæqualitatibus cense) in conceptum vniuersalem coire possint, exactè inter se similes, & æquales debet euadere in phantasmatis substitutis, quæadmodum cætera obiecta, ex quibus vniuersalia fiunt; quia de omnibus, quod ad rem attinet, eadè ratio est, vt constat.

172 Alterum animaduertendum est, vt intellectus faciat vniuersale non opus esse, quod prius distinctè, & expressè concipiat exactè inter se similia, & æqualia, aut omnia, aut multa eorum, ex quibus conceptus vniuersalis per adunationem est compingendus, tamen si id ita sæpe eueniat de facto; sed satis esse, (quod sæpe etiam de facto euenit) vt vno dumtaxat, aut altero eorum expressè conceptu, pro illo, & cæteris, quæ eundem conceptum, seu prorsus similem habuerint, concipiendis, quæcumque illa

Ante, vnicum intellectus phantasma subroget. Ita enim fiet, ut omnia sub vno conceptu in tali phantasmate adueniant; quo nihil desideratur, ut talis conceptus respectu omnium vniuersalis sit.

Restat modò, ut ex doctrinâ huius questionis aliqua confectaria eliciamus, quæ veluti regulæ quædam sint ad faciendam, & dignoscendam conceptuum vniuersalium adunationem.

Confectarium 1.

- 174 Quæ in se sunt physicè exactè similia, & æqualia, taliæque à nobis seorsim apprehenduntur, citra omnem præcisionem obiectiuam possunt à nobis sub vno conceptu adunari.

Ita se habent plures circuli, & plura quadrata æqualia, plures calores, & plures candores æquè intensi, & alia huiusmodi. Ratio autem confectarij ex dictis est clara, quia in ordine ad adunationem, ad id solum præcisio requiritur, quòd extrema adunanda exactè nobis appareant similia, & æqualia; in casu autem confectarij talia nobis apparent absque vllâ præcisione.

Confectarium 2.

- 175 Ut concreta ex subiecto, & actu, siue ex subiecto, & formâ exactè similia, & æqualia nobis appareant, prout opus est, ut in vnum conceptum coeant cunctis communem, fat est, quòd eorum actus, siue formæ tales nobis appareant; quantumvis eorû subiecta inter se dissimilia, aut etiam inæqualia sint.

Ratio est, quia huiusmodi concretorum subiecta connaturaliter concipiuntur à nobis valde obscure, & confusè, nempe quasi obuoluta, & contexta actibus, siue formis, quæ concipiuntur clarè, & expressè, prout *suprà disp. 2. q. 4. conf. 3.* notauimus, quo fit, ut talium subiectorum diuersitas non discernatur, atque ita concretorum adunationi non obster. Id, quod vel ipsa experientiâ est manifestum; iuxta quam constat omnia calida exactè nobis apparere similia, & æqualia ab exactâ similitudine, æqualitatèque calorum, quidquid sit de diuersitate subiectorum. Paritèrque omnia existentia à similitudine, & æqualitate actuum existendi: omnia bona à similitudine, æqualitatèque bonitatum, &c. etiam quando subiecta horum concretorum quod totum, quod sunt, concipiuntur, & non quoad vnâ solam formalitatem in omnibus similem, iuxta *disp. 2. q. 3. conf. 5. & q. 4. conf. 3. citato.*

- 176 Vnde sequitur, quando concreta sunt physica, contingere posse, ut ea citrà omnem metaphysicam præcisionem adunabilia sint, quantumvis habeant dissimilitudinis physicæ ex parte subiectorum, si tamen formæ exactè similes, & æquales physicè sint, & ut in se sunt concipiuntur, qualia essent plura calida exactè similia, & æqualia, tam quoad intensionem, quàm, quoad extensionem caloris quorum subiecta alia essent lignea, alia lapidea, alia ferrea, & alia aliarum materierum.

- 177 Hoc tamen casu excepto, quæcumque physicè aliquam inter se dissimilitudinem habent, in vnum conceptum cunctis communem coire nequeunt, nisi interueniat obiectiua præcisio, quæ conceptum adunatum ab omni differentiarum dissimilitudine exuat, iuxta superius dicta.

Confectarium 3.

- 178 Ut actus, quos significat verba, in vnicum con-

ceptum communem sumpti in abstracto coire possint, non satis est eos quoad intrinsecum suum conceptum exactè similes apparere; sed insuper est necessarium ut talia appareant, tum eorum termini, tum subiecta, quæ tanquam connotata à se distincta suo pte conceptu respiciunt.

Hoc etiam constat experientiâ, & ratione probatur; quia tales actus non possunt concipi absque talibus connotatis, ut potè qui respectus quidam ad illa sunt. Ergo nec possunt adunari, ni talia etiam connotata adueniant, quod sine horum exactâ similitudine, iuxta dicta non potest fieri. Probo consequentiam. Quia si adunarentur omnes actus, non adunatis connotatis, omnia hæc simul, distinctèque, & ut plura, sicut in se se ipsa sunt, deberent cognosci; quod tamen impossibile est, quia sunt infinita, aut innumera; & nos non possumus simul innumeras cognitiones habere, quales nobis sunt necessariæ ad cognoscenda innumera distinctè, & ut plura, iuxta doctrinam statutam *disp. 2. q. 3. Conf. 2.* Deinde ille conceptus, sub quo essent adunati omnes actus, ad ea innumera connotata distinctè cognita ita terminari conciperetur, iuxta modum nostrum connaturalem intelligendi, quasi singuli actus particulares in illo contenti ad ipsa omnia connotata terminarentur, quod tamen est mendacium ab abstractentibus alienum, iuxta Logicorum essatum. Si enim concipias conceptum vniuersalem cognitionis quatuor obiectorum, is vti que contrahendus venit ad hanc cognitionem quatuor obiectorum, & ad illam etiam quatuor obiectorum, & ad aliam quatuor obiectorum, &c. Paritèrque si concipias conceptum vniuersalem vnionis materiæ ad quatuor, aut plures formas, & alios huiusmodi. Stet ergo quatuor cognitiones exactè similes, quarum vnæquæque vnum tantum habet obiectum, sub vno conceptum cognitionis venire non posse, nisi simul sub vno conceptum obiecti veniant ipsa quatuor obiecta.

Et confirmari potest. Quoniam eo ipso, quod actus sine subiecto, & termino concipi nequit, hæc tria vnicum adæquatum obiectum complectunt, quod vti que ut aliis ternariis huiusmodi exactè sit simile, omnes suas partes omnibus partibus aliorum, singulas singulis, prout correspondent, debet habere exactè similes, ut est notissimum. Cum igitur cætera quæque obiecta absque tali similitudine non sint adunabilia, ut constat ex dictis; neque hæc absque illâ adunabilia erunt. Quod est non posse actus similes sub vnicum conceptum cadere, nisi & eorum subiecta cadant sub vnicum conceptum, & eorum termini pariter.

Et quoniam actus bene possunt esse inter se similes, tum physicè, tum in mente nostrâ obiectiue, tamen tum eorum termini, tum eorum subiecta inter se dissimilia sint, ut *suprà disp. 13. quæst. 9. Consect. 6.* statuimus. & latius rursus *disp. 16. quæst. 4.* dum talis subiectorum, aut terminorum dissimilitudo retinetur, tales actus, quantumvis intrinsecè similes, non erunt adunabiles, obstat namque dissimilitudo subiectorum, aut terminorum, à quâ dissimilis extrinsecè, & ipsi actus dici possunt. Cæterum ut est intellectus noster promptissimus ad adunanda quælibet alia obiecta, quantumvis inter se dissimilia sub aliquo conceptu ipsis communi, abstractendo scilicet ab illis aliquem actum in cunctis similem, moxque cuncta ipsa superuicta tali actu concretè concipiendo, iuxta doctrinam *consect. 2.* (sic enim adunamus facili lapidem, hominem, arborem, & alia obiecta dissimilia

diffimilia sub conceptibus existentis, potentis existere, distincti, veri, boni, &c.) Ita quoque promissimè potest, & solet terminos, subiectaque diffimilia actuum similium sub aliquo conceptu ipsis communi adunare, ut & actus ipsos sub proprio eorum conceptu queat adunare, & adunet. Si quando autem alij conceptus communes subiectis, aut terminis desint, ad manum est ipse conceptus subiecti, in quo conueniunt omnia subiecta quatenus talia, & ipse conceptus termini, in quo conueniunt omnes termini, quatenus tales. Subiici enim actui formaliter alius actus est intermedius, in quo concretè assimilantur omnia subiecta pariterque terminata actum formaliter alius actus est intermedius, in quo concretè assimilantur omnes termini, iuxta doctrinam statutam q. illa 9. citatâ.

Confectarium 4.

181 Adunationi actuum similium sumptorum in concreto dissimilitudo subiectorum non obstat. Obstat tamen dissimilitudo terminorum.

Prior pars ex *consect. 2.* constat: Ibi enim statui-mus per actus in concreto positos ita eorum subiecta congegi, ut horum dissimilitudo non discernatur; atque adeo neque obstat, quominus ipsa concreta appareant exactè similia, & consequenter adunabilia, quando sunt actus exactè similes. Posteriora pars inde apparet, quod termini actus per actus quantumvis sumptos in concreto non conteguntur; sed semper concipiuntur distinctè, ut patet in horum actuum, seu concretorum terminis legens lectionem, videns parietem, cognoscens obiectum, potens existere, distinctum ab homine, &c. consequenter in aliis omnibus. Hinc autem fit, quando termini actuum similium sunt inter se dissimiles, æquè apparere inter se dissimiles, siue actus in concreto sumantur, siue in abstracto, atque adeo æquè non adunabiles tum ipsi, tum actus defectu adunationis ipsorum, nisi sub aliquo conceptu ipsis communi adunentur, ut faciliè possunt ipsorum dissimilitudine præcisâ, & correctâ, iuxta doctrinam *consect. 3.*

Confectarium 5.

182 Actus intrinsecè dissimiles, quâ tales non sunt adunabiles, quantumvis eorum termini, subiectaque adunabilia sint. Possunt tamen faciliè adunari, sicut & alia obiecta sub aliquo conceptu concreto eorum dissimilitudinem obuolvente, & te-gente. Abstractè tamen, manenteque intra sphaeram actuum non sunt vllatenus adæquatè adunabiles; sed merè inadæquatè dumtaxat quoad aliquas formalitates sui.

Prima pars *consectarij* ex dictis est nota, neque vllâ nouâ eger explicatione; secunda etiam constat ex dictis: quia sicuti alia quæque obiecta dissimilia possunt adunari in ratione entis, boni, veri, distincti, &c. ita & actus dissimiles. Hoc tamen casu quasi egrediuntur ab sphaerâ actuum, cum fiant subiecta aliorum actuum similium, quibus superinduti apparent similes iuxta dicta. Tum hæc ratione quadamtenus adæquatè adunari possunt, præsertim quando conceptus, sub quo adunantur, transcendens est, hoc ipso, quod sub illo torum, quod re ipsâ sunt, potest obuolui, id exigentibus principiis, quæ mouent, siue determinant ad talem adunationem, & conceptiones

præuias faciendas, iuxta doctrinam datam *suprà disputat. 2. quæstione 3. præsertim consec. 5. & disp. 13. quæst. 9.*

Ceterum quando actus dissimiles non ut subiecta aliorum; sed secundum se considerantur, quo pacto intrâ propriam actuum sphaeram contineri censentur, in nullo sensu possunt adæquatè adunari, quia ut sic dissimiles apparent; possunt tamen præscindi ab illis vna, vel plures formalitates inter se similes, quæ adunari poterunt. Ita enim in actibus cognitionis physicè dissimilibus formalitates actus, cognitionis, iudicij abstractiui, vel intuitiui similes, & adunatas passim concipimus cum præcisione à differentis, in quibus dissimilitudo tota relinquitur, iuxta superius dicta. Quo tertia pars *consectarij* satis, superque explicata manet.

Confectarium 6.

Quæ dicta sunt in totâ hæc quæstione de adunatione plurium sub vno conceptu vniuersali, & illis communi, eodem pacto locum habent, siue ea plura talia sint physicè, & realiter, siue tantum metaphysicè, & per rationem nostram.

Itaque quemadmodum plures res inter se distinctæ realiter, ita & plures formalitates eiusdem rei, aut etiam plurium distinctæ solum per rationem, si sint inter se dissimiles, quâ tales adunari non possunt. Possunt tamen sub ratione, siue formalitate aliquâ in omnibus reperta simili in vnum conceptum communem omnibus, atque adeo vniuersalem coire, prout est in *superioribus* explicatum. Si omnipotentia Dei, æternitas, immensitas, infinitudo, & cætera diuina attributa, secundum conceptus peculiare singulorum non sunt adunabilia, quia tales conceptus sunt inter se dissimiles; bene tamen secundum conceptus in cunctis similes, atque adeo cunctis communes, ut sunt conceptus entis à se, diuini attributi, distincti à creaturâ, boni, veri, &c. Pariterque de pluribus aliis formalitatibus aut eiusdem, aut plurium rerum philosophandum est.

Vnde colligitur primò adunationem plurium sub vno conceptu vniuersali cunctis communi semper habere locum, quando ea plura similia apparent, prout ad talem adunationem requiritur, iuxta superius dicta. Siue ita appareant similia ex vi primorum conceptuum, quos de ipsis formamus, siue ex vi secundorum cadentium super primos quasi reflexè, dum alia phantasmata substituta pro primis conceptibus subrogamus, siue ex vi tertiorum, & ita deinceps, iuxta doctrinam datam *suprà disp. 2. quæst. 3. & disputat. 13. quæst. 9.* de modo, quo intellectus noster subrogat substituta phantasmata non solum immediatè pro rebus cognoscendis; sed etiam mediatè pro cognoscendis conceptibus earum per alia substituta phantasmata iam prius formatis.

Ex quo colligitur secundo: quia, ut ibi nota-bam, & ego mihi experiri videor, sæpe per ipsum phantasma vocis, aut prolata, aut scriptæ aliquod obiectum significantis solemus concipere obiectum ipsum, sæpe utique fieri, ut sub vnum conceptum per tale phantasma formatum omnia obiecta adunemus, quæ per talem vocem significantur, quantumvis ea sint inter se dissimilia, ut sunt, quando vox est æquiuoce: neque hoc à doctrinâ datâ exorbitat; quia omnia ea obiecta in hoc, quod est per talem vocem significati, similia sunt, ut

neque sub unico vocis phantasmate comprehenduntur instar aliorum concretorum similium à similitudine actuum, quibus eorum contingunt subiecta, iuxta doctrinam datam. Neque propterea censenda est tolli vocis æquiuocatio in casu proposito. Quoniam licet verè ea esset vniuoca, si tantum significaret dicta plura obiecta prout similia, & adunata in sui phantasmate substituto pro illis; quia tamen primariò, & principalitèr significat illa prout dissimilia secundum præuios, & proprios singulorum conceptus, suam retinet æquiuocationem, vt amplius constabit ex dicendis *infra q. 22.* vbi ex principiis hic factis facillimè diiudicabimus, quid de æquiuocis, vniuocis, & analogis sentiendum sit.

Confectarium 7.

- 187 Huc vsque loquuti sumus in hac questione de adunatione plurium sub vno conceptu vniuersali, quæ eo ipso est adunatio vniuersalitatis. Nunc breuiter ex dictis deducimus de adunatione disunctionis pariter philosophandum esse, de adunatione verò collectionis paulò aliter.

Itaque suppositis naturis, & differentiis horum trium generum adunationis plurium in vno conceptu, quas *disp. 2. q. 3. confect. 5.* explicauimus. Dico primò, sub vno conceptu obiectiuo vago, qualem significant hi termini, *aliquis homo, aliquis leo, aliquis lapis*, & similes: formaturque quando pro pluribus disinctione cognoscendis vnicum phantasma sensibile substituit intellectus noster; plura dissimilia, quæ talia adunari non posse, quia de huiusmodi conceptu vago perinde, quod ad rem attinet, ac de conceptu vniuersali philosophandum venit, vt ex dictis in hac questione præsertim *proposit. 1.* satis clarè colligitur. Cum quo stat, quando plura disinctione à nobis cognoscuntur non sub vno conceptu vago, vt in casu proposito; sed sub pluribus saltem partialibus, quales respondent istis terminis: *homo*, vel *Angelus*, vel *lapis*, &c. eorum dissimilitudinem, quantumvis expressè conceptam nihil obstat. Circa quod recolantur dicta *suprà disp. 10. q. 1.*

- 188 Dico secundò. Adunationem collectionis, (quæ fit subrogando vnum phantasma, ita pro multis collectiue, vt non subrogetur pro singulis distributiue, nec illis possit singularim accommodari) bisariameuenire posse. Primò si phantasma subrogatum pro multis ea cuncta capiat in suâ extensione distinctè, ita vt singulis singulæ partes extensionis phantasmatis corresponsdeant, iuxta doctrinam de extensione phantasmatum datam *disp. 1. q. 2. & 3. & disp. 2. q. 3.* Quo casu talium multorum dissimilitudo nihil obstat, quominus ea sub talem vnicum conceptum cadere possint, imò verò sub illo expressè dissimilia apparebunt. Ita fit, quando multa corpora dissimilia vnumquodque in suo loco distinctè nobis representantur, & simul vni eo totali conceptu, ita tamen extenso, vt singula illa singulis partibus ipsius conceptus corresponsdeant. Secundo modo euenit dicta adunatio, quando phantasma subrogatum pro multis ea cuncta in suâ extensione non capit, ob idque aut pleraque, aut etiam omnia quasi obuoluta, & contexta, ac veluti penetrata refert, ad eum modum, quo in conceptu communi cuiusvis concreti quasi contexta per formam, & obuoluta, ac veluti penetrata concipiuntur omnia subiecta, iuxta superius dicta. Vt enim phantasma cuiusvis particularis formæ ve-

luti circumducitur suprà suum subiectum, illudque contegit, dum concretum ex subiecto, & formâ constitatur, vt notauimus *disp. 2. quest. 4. confect. 3.* indeque fit vt concreta ex formis similibus sub vnum conceptum vniuersalem venire possint. Ita in casu nostro phantasma subrogatum pro collectione multorum instar tegumentum quoddam extensum, quo illa obuoluntur, apprehenditur. Quocirca phantasma proprium multitudinis tanquam cuiusdam formæ multorum est. Vnde ex hoc modo adunandi multa sub vno conceptu collectiuo sequitur primò talium multorum dissimilitudinem huic adunationi nihil obstat, vt non obstat dissimilitudo subiectorum, vt adunentur sub eadem formâ. Secundo huiusmodi conceptum collectionis singulis in eo contentis nequaquam posse conuenire; sed tantum eorum collectioni, in quo differt à conceptu vniuersali, & à conceptu vago. Tertiò semel ita adunato vario aggregato multorum, ita ea in ratione multitudinis posse similia euadere, vt in vnicum conceptum vniuersalem multitudinis coire valeant; ita vsitè verum multa aggregata in ratione multitudinis, siue in ratione aggregati vniuocè conuenire posse.

Porrò, quidquid de similitudine, & dissimilitudine multorum diximus in ordine ad eorum adunationem, eodem pacto locum habet circa eorumdem æqualitatem, & inæqualitatem, vt satis constat ex dictis in totâ hac questione.

Ad cuius extremum ex dictis etiam in eâ breuiter resoluenda venit questio, quam aliqui hic solent extendere. Num scilicet vniuersale in communi vniuocum sit, atque adeò genus respectu omnium vniuersalium, siue prædicabilium? Dico vno verbo vniuocum esse. Tum, quia vt tale ab Aristotele, ab aliisque Philosophis circa vllam disinctionem definitione vnicâ definitur, quod proprium vniuocorum est; tum, quia omnia vniuersalia exactè similia, & æqualia concipiuntur à nobis quoad rationem vniuersalis præcisè sumptam, quoad illamque proinde sub vno conceptu vniuersalis adunantur. Quo nihil deest, quominus talis conceptus vniuocè dicatur de omnibus, iuxta doctrinam vniuocorum tradendam *infra quest. 22.* Quod si est vniuocum, & genus erit, de quo nullus dubitat, quia aliter, quàm vt genus ad vniuersalia specialia non potest comparari, vt constat. Contrà hoc tamen quædam sophismata fieri solent pro ingeniis tyronum exercendis inde desumpta, quod vniuersale in communi per denominationem quasi reflexam generis, & consequenter vniuersalis sibi superuenientis genus quoddam indiuiduum efficiatur. Quo fit, vt vno modo acceptum superius sit respectu generis, quod est vna specierum eius, & altero modo acceptum superius sit respectu ipsius generis, & consequenter respectu sui. Tum vno modo acceptum essentialiter est vniuersale. Altero autem accidentaliter est tale. Tum vno modo genus generis, aliorumque vniuersalium est. Altero quoddam est ipsius generis indiuiduum. Quod indicasse satis sit pro dictis sophismatibus dilucidis. Videantur Conimbricenses in *Præf. Porphyry. questione septima.* Rub. *questione septima.* & alij Recentiores.